

1702, 3a
Q. D. B. V. 4
DISSERTATIO JURIS PUBLICI GENTIUM,
DE

REGIMINE
USURPATORIS
REGE EJECTO,

QVAM

AUSPICIIS DIVINI NUMINIS
EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI ICTORUM
ORDINIS IN ILLUSTRIS VIADRINA,
PRÆSIDE


SAMUELE COCCEJO,

JUR. PROF. PUBL. ORD.

Die VIII. Septembr. An. MDCCII.
IN AUDITORIO MAJORI,
Publicè defendendam
suscipiet

GODOFRED. WILHELMUS
de SCHMETTAU,

EQUES SILES.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

8

DESSERTATIO JURIS PUBLICI GENTIUM
DE

RE GIMINE
USURPATORIS
REGE EJECTO

QUAM
AUSPICIS DIVINI NUMINIS
EX DECRETO ET AUTORITY
ORDINE IN HUIUS REBUS
P R A S I D E

SAMUELIS COCCIO

IN AUDITIO MAIORI
FACULTATIS LEGIS
II DE FEBRUO

GODFRIDUS WILHELMUS
DE SCHNETTAR

THEOPHILUS VINDICUM
LIEBENS CHRISTOPHORI ZEILLER




SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO
WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ELECTORATUS,
SUPREMI PRINCIPATUS AURIACI,
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM,
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIO-
RUM, VANDALORUM,
ITEM IN SILESIA CROSNÆ
DUCATUUM,
BURGGRAV: NORIMBERG:
PRINCIP: HALBERSTADII, MINDÆ
ET CAMINI,
COMITAT: HOHENZOLLERÆ, MARCÆ,
LINGEN, MÖERS, BÜREN, LEHRDAM,
MARCHIONAT: VERÆ ET VLISINGÆ,
DYNAST: ARELATÆ, BRÆDÆ,
HÆREDI,
&c. &c. &c.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Hanc Disertationem in pii obsequii pignus,
atque Se ipsum

Humillimè offert

GODOFR. WILHELM. de SCHMETTAU,

SERENISSIME
PRINCEPS REGIE,



Sindigentia,
uti rerum quotidiana-
narum, ita & pru-
dentia ac scientia-
rum esfet mensura,
rem & maximi momenti & ingen-
tis pretii TIBI dicari putarem, dum
qualescunque has studiorum meo-
rum primitias Augusto nomini Tuo
sacras

Humiliss. offen.
GODT. WILHELM. DE SCHMETTAN

facras facio : Verum, cùm ita comparata sit scientiarum natura, ut verum earum precium in excellenti copia, & uberrimo apparatu consistat, & tanto majoris constet disciplina, quanto latiore & diffusiore ejus notitiam habemus, anceps hæreo, num hanc Dissertationem, non doctrinæ ubertate affluentem, sed potiùs nimiâ indigentia laborantem, ad Tuos, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, pedes devolverem; Sanè nihil est quod à temeritatis nota me absolvat nisi quod in tali ætate scripserim, quæ veniam meretur, & cujus lubrico egregia privilegia benigna juris interpretre-

terpretatio concessit. Animum
quoque addidit singularis illa, &
summa qua in meos es clementia,
quam non semel benignissimo ore
ac vultu ipsis præsentibus declarasti,
sed tot quoque rerum argumentis
testatam fecisti. Hâc fretus, eo au-
daciæ perveni, ut TE offerentis ani-
mi potius pietatem quàm rei obla-
tæ pretium perpensurum non tam
crediderim quam penitùs mihi per-
svaserim. Non ergò dedignaberis,
CLEMENTISSIME PRINCEPS RE-
GIE, leve hoc devotissimi animi
monumentum, quod in humillimi
obsequii pignus TIBI consecro, an-
nue eâ quâ soles benignitate stu-
dio-

diorum meorum profectibus, quos
sub Regiis Auspiciis Potentissimi Pa-
rentis Tui per integrum triennium
in hâc Viadrina feci, & si forte im-
maturi nimis TIBI videntur fructus,
ut maturescente ætate solidiores of-
feram, sedulò annitar. Votum in-
terim nuncupo pro TUA incolumi-
tate; ut benignissimum numen TE
& Serenis. Regios Parentes, æquis-
simos belli & pacis moderatores, ad
feram usq; posteritatem salvos ac
sospites esse jubeat: & cum ea jam
sint Regiæ Domus Boruslicæ ac
Brandenburgicæ incrementa, ea
Gentis gloria, eaq; Imperii felicitas,
ut nihil, quod superaddi possit, de-
esse

esse videatur, nihil nisi Tuæ præ-
sentis, adeoque omnis felicitatis pe-
rennitatem submissâ mente TIBI ap-
precor

Serenissime ac Potentissime

PRINCEPS REGIE

DOMINE CLEMENTISSIME,

Serenitatis Tuæ Regiæ

Subiectissimus Servus

GODOFR. WILHELMUS de SCHMETTAU.



DISSERTATIO
DE
REGIMINE USURPATORIS REGE
EJECTO.

SUMMARIA.

1. *Causa introductorum imperiorum justitiae administratio.*
2. *Probatum auctoritatibus.*
3. *Indeque Sacrosancta res dicitur Imperium.*
4. *Sacrosancti quoque regnorum administratores.*
4. *Ex hac Sanctimonia omnia iura maiestatis sequuntur.*
5. *Ea tantum legitimo principi competit.*
6. *An etiam tyrannus? res difficultate non caret.*
7. *Intentio presentis Dissertationis.*
8. 9. 10. *Demonstratur in omni negotio distinguendum esse Jus ab ejus exercitio.*
11. 12. 13. *Adeoque in imperio quoque*
- aliud esse Jus Imperii aliud ejus exercitium.
14. *Notantur illi qui hanc differentiam non agnoscunt: causa erroris traditur.*
15. *Jus Imperii tantum legitime competit regi.*
16. *Etsi a Tyranno ejecto.*
17. *Nihil vero juris est penes invasorem, adeoque omnes ejus actus ipso jure non valent.*
18. *Hinc (1.) cessat obligatio subditorum erga talem invasorem.*
19. *(2.) Facultas administrandi cessat.*
20. *(3.) Alienationes eorum nullae sunt.*
21. *(4.) Bellum justum cum iis non geritur.*

XX

32. (5.)

- (0)
22. (5.) Invasi sine clarigatione possunt.
23. (7.) Ab illis capti non fiunt servi.
24. (8.) Hinc licite fugere & prae-terea quadam surripere possunt.
25. (9.) Nec postliminio redeunt.
26. (10.) Justa pax cum Usurpatoribus non fit.
27. (11.) Nec fœdus legitimum.
28. (12.) Nec illud quod cum Republica initum est ad Usurpatores supervenientes pertinet.
29. (13.) Jus legatorum non habent: Sed totum id remanet penes regem ejectum.
30. Contraria resolvuntur.
31. Contra hunc invasorem Rex ejectus jus suum vindicare potest.
32. Socii quoq; assistere debent ejecto, ex lege fœderis.
33. Et si fœdus cum ipso invasore renovatum sit.
34. An aufugiens ad alium principem dedi debet?
35. An Ajyla profunt invasoribus? Neg.
36. An unusquisq; è populo interficere Usurpatorem potest? Neg.
37. Nisi consentiente populo, etiam tacite.
38. Notatur Grotius qui improbat factum Octavii & Bruti privata autoritate contra Antonium bellum gerentium.
39. Objectiones resolvuntur.
40. Privati consensu principis tyrannum occidentes jure agunt.
41. An Socii tyrannum occidere possunt? Affirm. 1. tanquam Socii ex fœdere, 2. ex jure proprio ob commune jus Gentium violatum, quod non violari ipsorum quoq; interest.
42. Multum interest an quis jus proprium vindicet, an tanquam socius interveniat.
43. Hac omnia cessant si tyrannus sit Rex legitimus, uti
44. I. Si pulsus renunciat Regno etiam tacite.
45. Qua renunciatio non praesumitur ex solo longi temporis lapsu.
46. II. Per immemoriam praescriptionem.
47. His casibus nihil amplius in Usurpatorem licet.
48. Et si verò invasor jus Imperii non habeat, administrare tamen potest, & necessario debet: quia est in possessione.
49. Injustam possessionem veram tamen possessionem esse.
50. Possessori necessario administrati-

strationem concedendam esse demonstratur.

51. Imo injustus possessor magis obligatur ad rei curam.

52. Rejicitur ratio Grotii.

53. Varia hinc inferuntur: quod hactenus tam subditi quam vicini presentem possessionem sequi possint & debeant.

54. Vicini titulis regis compellere invasores possunt.

55. Legati eorum admittuntur.

56. An jus sequela habent? Affirm. contra extraneum hostem Reipubl. Neg. contra principem, pulsam.

57. Ecclesiastica administrant.

58. Reliqua quoque possessionis onera hinc sequuntur.

59. Extincto tyranno omnes actus medi temporis expirant.

60. Hinc varia deciduntur controversie post tempora Car. VIII. Usurpatoris, Neapolit. mot.

I. Donata ab Usurpatore revocantur, etsi donatarii rem vendiderint: Sed tum emtores pretium recipiunt à venditore.

II. Si debita publica tyrannus exigit, ritè soluta non videntur, adeoque extincto denuò solvi debent reipublica.

III. Injurià, incarceratus & coa-

ctus ut rem suam vendat ac inde se liberet, eam ejecto tyranno à quocunque possessore recipit.

IV. Baro quidam à legitimo Rege incarceratus Debitorem habet, qui (non morosus) à fisco conventus solvere tenetur; Succedente Usurpatore improbatum solutio, ac condemnatur debitor ut denuò creditori solvat: Quar. an rectè? Neg.

61. Sunt tamen quinque exceptiones, ubi actus tyranni rescindi non possunt.

62. I. Si quædam gesit ante tyrannidè.

63. II. Si Respublica locupletior facta est, tum de in rem verso tenetur.

64. III. Si errore publico pro legitimo rege habetur.

65. IV. Quæ ex necessitate vel utilitate Reipublica gesta sunt.

Unde novem casus, post ejectionem Car. VIII. in Consilio Neapolitano controversi, deciduntur.

I. Si quis fidejubes pro liberatione injustè & ab Usurpatore incarcerati, solutum actione ex fidejussu repetere potest.

II. Jure incarceratus & coactus ut rem suam vendat & inde se liberet, eam extincto tyranno non recipit.


XXI

III. Mo-

- | | |
|--|--|
| <p>III. <i>Morosi debitores Baronis cuiusdam incarcerati, à fisco conventi solvunt, succedente usurpatore solutio nulla declaratur & denuo creditori solvere tenentur, Quer. an rectè? affirm.</i></p> <p>IV. <i>Quer. an probatio valeat, facta intra terminum ab Usurpatore prescriptum? affirm.</i></p> <p>V. <i>An neglecto hoc termino contumax fiat pars? Affirm.</i></p> <p>VI. <i>Confessio facta tempore Usurpatoris valet.</i></p> <p>VII. <i>Litem instituens sub Usurpatore non habetur pro temerè litigante.</i></p> <p>VIII. <i>Acta officialium etiam infidelium, si ad necessitatem administrationis pertinent, valent.</i></p> <p>IX. <i>Sententia ab Usurpatore lata</i></p> | <p><i>vim juris habet.</i></p> <p>56. 67. 68. V. <i>Valent acta tyrannisi utilitas Reipublica requirat, ut etiam illa quae ipso jure nulla sunt, confirmantur.</i></p> <p>69. <i>An bona privata ejecto Usurpatori restitui debent? Neg.</i></p> <p>70. <i>An tyrannus patris nocet filiis quoad successionem? Neg.</i></p> <p>71. <i>Exc. Nisi talis lex sit Reipublica.</i></p> <p>72. <i>Si in filio ipso est vitium, uti si sit partus suppositivus, vel saltem incertus & suspectus, ex alia causa rejicitur.</i></p> <p><i>Unde probatur Wallia Principem non legitimum Successorem esse; ac proinde malè à Rege Gallia nuper Regem Anglia proclamatum esse.</i></p> |
|--|--|

ERRATA.

- §. 7. *in fin. pro §. 4. leg. §. 48.*
- §. 14. *in med. pro queant leg. queat.*
- §. 20. *pro §. 40. leg. §. 61.*
- ibid. pro §. 44. leg. 49.*
- §. 31. *in fin. pro Tesm. ad Gr. l. 2. c. 4. §. 9. leg. Grot. L. i. c. 4. §. 6. n. 4 & §. 7. ibique Tesm. l. a.*
- §. 34. *pro auffugerit leg. aufugerit.*
- §. 36. *in fin. pro interfectoibus Neronis leg. Neroni sibi necem inferenti.*
- §. 59. *in fin. pro prænunciata leg. pronunciata.*
- §. 60. *n. 4. lin. 3. pro exiguntur leg. conventi, solyunt.*



§. I.



Nica & sola introducendi Imperii ratio, quâ universa ejus absolvitur natura ac definitio, est sacrosancta Justitiæ administratio, quâ dirigente id efficitur, ut homines juribus suis à divino rerum Creatore largissimè concessis, tranquille, & quam fieri potest, felicissimè uti queant *Dn. Coccej. in Disf. de Imper. in par. §. 2.*

§. 2. Hinc constituta dicuntur regna & Imperia ut scelera damnent, aliosq; suo timore compescant. *Caus. 23. qu. 5. c. 39.* Et *Augustinus in Epist. 54.* ait: *Non frustra sunt instituta potestas regis, jus gladii cognitoris &c. disciplina dominantis. Habent ista omnia suos modos, causas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali & quietius inter malos vivunt boni &c. Metu legum coercentur humana audacia, & ut tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio frenatur facultas invocato Deo sanetur voluntas*

A

luntas

luntas : huc quoq; referri meretur quod idem *Aug. de Civ. Dei. L. 4. c. 4.* inquit, *Sepositâ justitiâ quid sunt regna? magna latrocinia.*

§. 3. Patet proinde quam sacra sint Imperia, humanæ societatis palladia, & quam meritò *res inter Deos hominesq; pulcherrima* vocentur apud *Liv. l. 2. c. 9.* Sunt enim à summo rerum arbitro constituta, qui per principes, quasi vicarios, suam in orbe exercet potestatem *Dn. Coccej. in Disp. de Summa Potest.* nec quisquam in dubium hæc vocabit, qui animo perpendit, Imperia non tantum in secularibus sed & in sacris consistere *l. 1. §. 2. ff. Just. Et Jur.* Vid. late *Dn. Coccej. in prud. Jur. publ. c. 18.* eamq; causam esse, quod Reges apud Judæos ac Romanos simul & Sacerdotes fuerint, probat. *Arn. Clapmar. de Arcan. dominat. l. 1. c. 15.*

§. 4. Hinc est, quod Imperiorum administratores atque rectores pari gaudeant sanctimonia. Hæc ratio est cur in sacris אלהים id est dii vocentur, *Exod. 22. v. 5. 8. 9. 20.* utpote secundum *Sen. L. 1. de Clem. c. 1. imaginem Et vices Dei in terris representantes.* Nam omnis magistratus à Deo ordinatus dicitur. *Epist. ad Rom. 13. v. 1.* adeo ut ei refragantes non hominibus, sed Deo ejusque ordinationi repugnare videantur *ibid. v. 2.* Optime *Plin. in Paneg. ad August. Mundi parens te dedit, qui erga omne genus humanum vice sua fungereris.* *Artabanus apud Plut. in Themist. Nobis inter leges multas, easq; bonas,*

*bonas, hac optima est, regem colendum ut Dei cuncta
sospitantis effigiem. & regium nomen Gentes pro
Deo colere latè tradit Grot. l. 1. c. 4. §. 7. num. 7. ibiq;
Tesm. Add. Curt. l. 8. c. 15: unde principes quoq; æ-
terni vocabantur Clapmar. de Arcan. Dom. l. 3. c. 12.*

§. 4. Ex hac sanctimonia & representativa Dei
imagine omnia sequuntur jura Majestatis, & singuli
summæ potestatis effectus: Quia scl. principes vi-
cariâ potestate, ipsius naturæ autoris jus exercent, e-
jusque voluntatem exequuntur, unde omne jus ipso-
rum *Dei gratia*, id est Dei auctoritate & loco, von
Gottes wegen / ipsis competit, *dict. Disj. de Sum-
ma pot. §. 1.*

§. 5. Hæc dignitas atque prærogativa, indeque de-
pendens administrandi jus & facultas, omnesque
ejus effectus, illi in dubiè potestati, illique conjuncti
sunt Imperio, quod per legitimos tramites acquisitum
est, neque jus illud denegari poterit Principi, qui vel
ex dispositione populi, vel successione lege, vel deni-
que per justam victoriam ad summum hoc dignita-
tis fastigium evehctus est.

§. 6. Sed quid de illa dicendum potestate, quæ
vel in tyrannidem notoriè degenerat, vel vi armorum,
prædoneo more, non belli jure, regnum invadit, illud-
que exclusâ legitimâ potestate occupat, actusque
Imperii tum ratione subditorum, tum ratione extra-
neorum violentâ manu exercet? Sane res ipsa diffi-
cultate non caret; imprimis cum ipsa Gentium præ-
xis

xis Usurpatoribus ad stipulari videatur: Videmus enim tyrannos à subditis sive metu, sive spontaneâ voluntate coli, ab extraneis regio cultu excipi, mutua cum ipsis foedera fieri, & in genere omnia belli & pacis jura cum illis communicari. Adeò, ut non immerito quari possit quid de horum inuasorum administratione dicendum? quem nam effectum habeant eorum actus? Num injuriâ agant subditi sequendo tyrannum, & extranei, cum illo tractando.

§. 7. Ut ergo sit quod tuto sequamur, demonstrabimus in præsentî disertatione talem regni inuasorem ac latronem Gentium nihil quidem juris habere vid. §. 13. Et seq. Ast tamen cum in possessione sit, actu administret, & reipublicæ negotia gerat, simul explicabimus qua ratione subditi & vicinæ gentes sine injuria præsentem possessionem sequi possint, & sequi soleant: adeoq; quo pacto actus usurpatoris effectum juris habeant. Vid. §. 4. Et seq.

§. 8. Quod ut eo felicitiùs expediamus, fundamenti loco notandum, in omni, Juris imprimis, negotio duo uti penitus diversa, ita accuratè omnino distinguenda esse. (1) JURIS, quod in legitima facultate & morali agendi potestate consistit, ac vulgò actus primus sive potentia appellari solet. (2) EXERCITIUM illius Juris quod in actuali possessione ac administratione consistit, diciturque actus secundus, sive potentia in actum deducta.

§. 9. Sic

§. 9. Sic actio definitur Jus, id est facultas legitima persequendi quod debetur, *l. 51. ff. O. & A. pr. Inst. de Action.* Unde et si quis nondum agat, actionē tamen habet, id est agendi facultatem, *l. 15. l. 204. ff. de Reg. Jur. l. 17. pr. ff. acq. poss.* & hereditas, et si jaceat, successio in universum jus defuncti dicitur; *l. 62. ff. de Reg. Jur.* ac pro Jure succedendi sumitur, ut in *l. 208. de V. S.* Sic Cicero definit bellum, quod sit status per vim certantium, non quasi actus ipse inde designetur, sed tantum facultas agendi, *Vid. Dn. Coccej. Disp. de Postlimin. in Pace Sect. 1. §. 1.* Ita cum reo competere exceptionem, Judici executionem &c. dicimus, non actus exequendi &c. sed facultas intelligitur.

§. 10. Hæc duo adeo diversa sunt, ut JUS sæpe penes unum sit, EXERCITIUM verò penes alium; Sic Furiosi & Pupilli rerum suarum Domini sunt, id est, Jus Domini habent, aut exercitium hujus Juris ipsâ naturali ratione ipsis ademptum est, & vel Tutoribus vel Curatoribus administratio committitur. *Vid. Perill. Dn. de Printzen in Disp. de Tutelis Illustrum. sub Praesidio Dn. Cocceji habita. Addatur l. 1. §. 12. de oblig. & action. l. 10. de Cur. Furios.*

§. 11. Eadem distinctio occurrit in Imperio, nam ibi quoq; aliud est JUS IMPERII, quod in sacra Justitiæ administrandæ potestate consistit, & ex Divina constitutione originem habet, *supr. §. 4. & 5.* Aliud EXERCITIUM IMPERII, sive ejus administratio, quæ plerumq; quidem conjuncta esse solent, si nimirum

rum legitima potestas simul est in possessione ; sæpius tamen separata ab invicem sunt, & alius est, qui Jus Imperii habet, alius, qui ejus administrationem. Sic Princeps peregrè profectus retinet summam potestatem & Jus Imperii, etsi ejus administratio vicariis interim committatur. Sic Status apud Romanos erat popularis, *sed cum auctus esset Populus Rom: in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sancienda causa, æquum visum est, senatum vice populi consuli. §. 8. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. ibi, ergo administratio ab ipso imperii statu distincta fuit.* Illustratur hoc quàm maximè exemplo Dictatoris, in quem omnis & summa administrandi facultas collata fuit, etiamsi jus Imperii penes populum remaneret. *Bod. l. 1. de Rep. c. 8.* Eodem modo forma Imperii fuit popularis per universam fere græciã, administratio vero fiebat vel per *δεξως* uti apud Thesálos, vel per *δεμοτας* uti Sparta: &c. *Liv. lib. 38. c. 30. Dion. Hal. l. 5. c. 83. & l. 4. cap. 78.*

§. 12. Imo adeo distincta sunt hæc duo negotia ut *administratio* aliquando fieri possit citra voluntatem ejus qui *jus Imperii* habet: Sic enim indubiè furiosis & pupillis *jus Imperii* quæsitum est ex dispositione populi, qui toti familiæ adeoque his quoq; personis jus concessum voluit *Dn. Coccej. in Lect. ad Grot. L. 2. c. 7.* Ast tamen tantum abest *administrationem* ipsis concedendam esse, ut potius ipsi sub aliorum cura atq; tate-

tutela jure naturæ constituti sint. *Vid. dict. Dissert. de Tutel. Illustr. præm. & Sect. 1. §. 3.*

§. 13. Egregiè hanc differentiam inculcat Michaël Hospitalius, Galliæ Cancellarius, apud *Cambden. in vita Elisabeth. p. 1. ann. 1567. pag. 119. quavis Angli Caletum 230. plus minus annos POSSEDERINT: JUS tamen penes Galliæ Reges fuisse, non minus quàm Ducatum Aquitaniæ & Normaniæ, quos Angli diu armis detinuerant. Et Grotius l. 2. c. 16. §. 17. de ejecto Rege disserens, inquit: Jus Regni penes eum manet, utcumque POSSESSIONEM amiserit, & dum probat Tyrannum à Sociis bello peti posse, nec eo aliquid fieri contra foedus addit rationem, quia hi, [sc; invasores] POSSESSIONEM habent, JUS non habent: Grot. d. c. 16. §. 18. ibique not. & c. Conf. omninò late hanc doctrinam defendentes Bod. de Rep. lib. 2. c. 2. Reink. de Regim. Eccl. lib. 1. class. 2. cap. 2. concl. 2.*

§. 14. Miror igitur, quâ fronte hæc tam necessaria, & naturali quoque rationi conveniens distinctio à plurimis in dubium vocata, à multis verò penitus negata fuerit, quo in loco sunt *Limn. lib. 1. de Jur. publ. c. 10. §. 13. Fab. Albergate in Disc. polit. Bodino opposit. l. 2. c. 10. p. 185. apud Reink. ante alleg. loc. & Authores, apud Kulp. in Colleg. Grot. Ex. 2. §. 13.* Causa erroris est, quod summam potestatem ab effectu & agendi libertate dijudicarint, quod tamen penitus falsum, (Cum non nisi ex solo titulo dignosci que-

queant) Scœpius enim vera summa potestas est, quæ nihil agere potest, cum econtrariò Dictator (qui nudus administrator est, vid. §. II.) omnia agere & administrare potuerit. Nervosè hoc explicat Grotius l. 1. c. 3. §. 14. *Distinguendam esse summitatem Imperii, ab habendi plenitudine, adeò verum est, ut non modo plerq; Imperia summa non plenè habeantur, sed & multa non summa habeantur plenè. Conf. Tesmar. ibid. & hinc in dict. cap. 3. §. 19. rejicit Polybii sententiam, qui Romanam Rempublicam ad mixtum genus Reipublicæ refert, causamq; erroris affert, quod magis externam speciem, & quotidianam administrationem, quam Jus ipsum summi Imperii spectaverit :*

§. 15. His ita suppositis, dicimus, jus Imperii tantum legitimo competere Regi, ei nimirum quem per legitimos tramites Divinus rerum Arbitrator vocavit nam contradictio esset, aliquem Dei Vicarium esse, citra ejus voluntatem & Sanctimoniam acquiri ex facto illicito & violento, benè hæc distinguit Henricus IV. in literis ad Hildebr. Pontificem. *Henricus non Usurpatione sed piâ Dei ordinatione Rex &c.* apud Excell. Dn. Beckman: Præceptor: nostrum quovis obsequii cultu devenerandum: *in Notit. Dignit. Illustrum D. 1. C. 3. §. 7.*

§. 16. Hoc imperii jus ubique regem sequitur, adeò ut, etsi per injuriam alterius in ejus exercitio impediatur, tamen etiam ejectus & exul jus Imperii retineat:

tineat: huic enim soli jus quæsitum est ex populi dispositione, quod proinde alius per naturam ipsi auferre nequit; cujus rei effectus, inter plures alios, insignis est, quod ipsi ejecti, vel etiam, iis demortuis eorum heredes, si revertantur aliquando ad regni sui limites, ex nulla nova dispositione populi ad regni fasces manum admoveant, sed ipso jure, utpote quod semper ipsis integrum mansit: id quod egregie ita declarant proceres Angliæ, cum Carolum II. exulem solenni hoc edicto revocarent: *Quamquam nulli dubium sit, quin post luctuosum Parentis Caroli A. M. obitum certum & absolutum esset Regiæ hodie Majestatis in Regnis suis & coronis jus & dominium, sine ulla edicti solennitate, aut pompa. Quoniam autem his vicibus, promulgatos esse reges in more positum fuerit, ut inde boni omnes subditi officium suum & obsequium testarentur, & quoniam porro armata proditorum vis, aliæq; tot retro annorum mala propediissent adhuc, quo minus nostrum in Regiam Majestatem obsequium profiteremur. Nos itaque utriusque ordinis Proceres &c. in Regem agnoscimus & pronunciamus, & ab ipso nuperi Domini Regis obitu, Imperialem Angliæ coronam &c. primogeniâ sorte, & successione indubitata Carolo secundo Regi sanguinis heredi proximo cecidisse, vid. Bateus in Motib. Angl. tom. 3. p. m. 65.*

§. 17. Econtrario sequitur, talem invasorem omni jure Imperii destitutum, violentum prædonem, & merum

B.

merum Tyrannum esse, ac proinde neque jus administrandi, neque ullum legitimum imperii effectum ipsi competere; Non enim Majestas ei competit, qui Majestatis essentiam i. e. Justitiæ administrationem evertit: Neque jus aliquod administrandi Rempubl. sibi vindicare poterit, qui contra voluntatem ejus, qui solus administrandi potestatem habet, illam suscipit: unde hæc prima elicitur veritas: quod omnia quæcunq; agit Usurpator ipso Jure nulla sint *Grot. l. 2. c. 14. §. 14.*

§. 18. Hinc I. omnis obligatio subditorum erga regnorum invasores cesfat, *Grot. l. 1. c. 4. §. 15. n. 1. & l. 2. c. 16. §. 18.* obligatio enim est vinculum juris *pr. Inst. de Obl.* quod ex injuria & delicto oriri non potest, sed demum ex legitima dispositione populi, ex qua vero jus legitimo principi quæsitum jam est, quod ei invito auferri nequit, §. 15.

§. 19. Imo & II, cum administrandi facultatem non habeant, omnes eorum dispositiones & contractus nulli sunt, quia uti benè inquit *Grot. l. 2. c. 14. §. 14.* *Jus obligandi populum non habuere*: omnis enim obligatio oritur ex consensu, ast vero populus hic non consentit, & naturæ regula est quod nemo alium obligare possit §. 3. *Inst. de Inut. stip. l. 11. ff. de Obl. & Act.* Quin etsi populus consentiat, nihilominus nulli erunt actus tyranni, si status v. g. regius sit: ibi enim uti imperium sic etiam administrandi jus ad solum regem legitimum, etsi ejectum, pertinet, cui proinde jus quæsitum neque tyrannus, §. *præced.* neque populus suo

suo consensu (quem semel totum in Regem transtulit) auferre potest:

§. 20. III. Alienationes eorum ipso jure nullæ sunt, hæ enim validitatem accipiunt ex jure Imperii, quod verò cum deficiat in inuasore, nullæ quoq; erunt alienationes, (*vid. tamen infr. §. 40. & seq.*) id quod ex rescisis tyrannorum actis *infra §. 44.* apparebit:

§. 21. IV. Bellum justum & solenne cum ejusmodi inuasore non est, geritur enim tantum inter duas summæ potestates, utpote inter quas solas bellum est necessarium reparandi juris medium, cum alium judicem non habeant, *Grot. l. 1. c. 3. §. 4. n. 1.* at vero inuasor summam potestatem non habet, *sup. §. 15.*

§. 22. V. Hinc si tales usurpatores armis petantur sive à læso Rege, sive à quolibet extraneo, clarigatione opus non est. (1.) Ex jure talionis si ipsi prædoneo more sine indictione rempubl. invaserunt (2.) quia clarigatio tantum in justo intervenit bello, *Grot. l. 3. c. 3. §. 5. ibiq; not.* quale cum prædoneo non est *§. præc.* (3) quia notoria est injuria & constat, quod inuasor nolit satisfacere, [quæ tamen sola causa est, cur clarigatio præcedens requiratur *Grot. l. 3. c. 3. §. 6. & Celebr. Vitr. Inst. Jur. Nat. l. 3. c. 3. q. 9. & 11.*] aliàs enim non ejecisset legitimum Regem tanto cum periculo. *Conf. Liv. l. 36. c. 3. Albr. Gent. l. 2. c. 2.*

§. 23. VII. Ab illis capti servi non fiunt, nam justo tantum bello capti ex Jure Gentium tales fiunt *l. 19. §. 2. ff. Capt. & vofstl. Grot. l. 3. c. 7. §. 1. n. 2.* adeo, ut et si

per manumissionem iterum libertati postea restituantur, non tamen fiant libertini, sed maneat ingenui
arg. pr. Instit. de Libertin.

§. 24. Quin VIII. adeo non fit servus à tyranno captus, ut non tantum licet fugere possit, sed & si quaedam subduxerit, furti crimine eum non attaminare animum tradat *Grot. l. 3. c. 7. §. 6. n. 4.* illud enim si facit, suo jure utitur, dum injuriâ detinetur: & dum quaedam surripit, mercedem pro operâ suâ interim præstita, accipit.

§. 25. Hinc IX. Postliminii jure ita capti non untur *Grot. l. 3. c. 16. §. 1.* tota enim ratio postliminii quam late explicat *Dn. Coccej. in Diss. de Postlim.* hic cessat, nunquam enim ab hoste captus fuit, sed à latrone, qui omnium confessione injuriâ agit, unde quicquid rerum nostrarum capit, tanquam injuria ablatum à quocunque postesfore vindicare poterimus *Grot. d. §. 1. Et l. 3. c. 10. §. 6.* ubi id exemplis quoque demonstrat. *Conf. d. Dissert. Sect. 2. §. 23.*

§. 26. X. Uti bellum cum tali Usurpatore non est, sic neque justa pax cum eo contrahi potest. Patet id (1.) quia pax est decisio belli, uti autem bellum cum eo non est *sup. §. 21.* ita nec pax. Imprimis & (2.) cum fiat & contrahatur tantum ab eo qui summi imperii jus habet *Grot. l. 3. c. 20. §. 2. Et pass.* quod cessat in Usurpatore. *sup. §. 15.* accedit (3.) quod pax sit dispositio de Republica, cujus administrandi jus non nisi legitimo Regi competit. *sup. §. 15.*

§. 27.

§. 27. XI. Fœdera cum vicinis inita legitima non sunt, quia hæc quoq; sunt pars summæ potestatis *Grot. l. 1. c. 3. §. 6. & L. 2. c. 15. §. 3.* Hinc Romani Nabidi tyranno objiciunt, *amicitia & societas nobis nulla tecum Liv. L. 34. c. 31. Vid. infr. §. 33.* Idq; verum est et si jurata sint, cum enim juramentum sit de re illicita, impia autem sit promissio quæ scelere adimpletur, Isidorus apud *Grot. L. 2. c. 13. §. 6.* non poterit ex tali juramento jus transferri in usurpatorem in præjudicium tertii scilicet regis ejecti.

§. 28. XII. Fœdera ante invasionem cum populo & ejus Rectore justè inita, ad supervenientem invadentem non pertinent; quia cum illo nihil dispositum est: hinc rectè Romani Nabidi fœdus antiquum alleganti, regerebant: *Amicitia & societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope Rege Lacedæmoniorum justa ac legitime facta est.* Vid. tamen *Tesm. ad Grot. l. 2. c. 16. §. 18. Conf. not. Grot. ad d. c. 16. §. 17. & 18.*

§. 29. XIII. Jus quoq; legatorum non habent usurpatores, nec missi eâ quæ jure Gentium legatis Sanctimonia & Securitas debetur, fruuntur; cū enim non possint disponere de rebus publicis, neque legatos mittere poterunt; utpote qui tantum in causis publicis mitti solent *Grot. l. 2. c. 18. §. 2. n. 1.* Ita apud *Liv. l. 34. c. 30.* Argivorum tyrannus caduceatore ad Romanos misso explorat, si paterentur legatos ad se mitti. Hinc benè loquitur *L' Ambass. de Wikel. L' usurpateur aura de la peine à faire admettre ses Ambassad. quand mesmes il seroit*

le maitre absolu de l'etat qu'il à usurpé, si le Prince, à qui il envoie ses ministres, n'a quelque interest, qui l'oblige à rechercher, ou à souffrir son amitié, idq; exemplis comprobatur, Louis XI. le Prince du monde qui entendoit le mieux son interest, meprisa la recherche de Richard, III., & ne voulut point voir ses Ambassadeurs &c. & p. 28. Les Mediateurs à Münster ne voulurent jamais admettre les ambassadeurs de Jean IV. Roy de Portugal ny negotier avec eux comme avec les autres Ambassadeurs. Pariter Regina Christina noluit regis Portugalliaë legatum admittere, utpote alium præter Hispaniaë Regem non agnoscens, *Idem Sect. 3. Lib. 1.* idem in aula Romana contigisse observat. *d. Sect. 3.*

Totum ergò hoc jus manet penes Regem ejectum, *Vitr. Instit. Jur. Nat. l. 2. c. 15. qu. 4.* ita Car. II. ad Imperatorem, Turcam, Molcoviaë Ducem, Polonum, Danum, Suecum, Venetos, Belgas, Hispanos splendas misit legationes. *Bateus in motib. Angl. P. 2. p. 191.* Sic cum Legatis Tarquinii exulis jus Gentium observatum dicitur *Liv. l. 2. c. 4.* Hinc nimium indistinctè loquitur *Grot. l. 2. c. 18. §. 2. n. 2.* Reges qui bello solenni victi regnoq; exuti sunt, cum aliis regni bonis & jus legandi perdidierunt, benè id restringit *Tesm. ad d. l.* si justè est ejectus, non vero si per injuriam, & benè licet nimium indistinctè legatus Mariae Stuartæ id allegabat apud *Camd. in Elis. 2. p. 209.* *Se legatum esse Regina absolutæ & in justè abdicatæ.*
 §. 30. Non

§. 30. Non vero obit. exemplum Henr. Hide qui à Car. II. cjecto ad Turcam misus, Cromwelio & Pseudosenatui Angliæ traditur, *Bateus d. p. 2. p. 192.* verum hoc exemplum fere unicum, barbarum, & ab omnibus humanioris vitæ gentibus damnatum jus non facit. Sic exemplum Persei devicti cujus legatos P. Æmilius retinuit, & quo utitur *Grot. alleg. loc.* nihil infert: nam retenti sunt ejus legati, non quod Regno exutum jus habere mittendi non putaret, sed quod ingenti fiducia exuendi hominem Regno, pacem ei dare nollet, & quod sine accepta mittendi venia occurrerint. *Gron. ad Gr. l. 2. c. 18. §. 2. n. 2.*

§. 31. Concludimus ergo ex antedictis, omne Jus Imperii ad legitimum pertinere regem, adeo, ut jus suum armis vindicare possit si ab alio impediatur; hinc populus deponere talem invasorem potest, *Grot. l. 3. n. 11.* ibiq; *Tesm. l. 1. c. 6.* eum occidere, uti magū apud *Just. l. 1. c. 9.* Amulium apud *Liv. l. 1. c. 6.* Imo pœnis quoq; afficere de quib; *Grot. l. 1. c. 4. § 6. n. 4. & §. 8. seq.* Sic Lex Thesaliam fuisse dicitur, ut cum tyranno quinq; ejus proximi cognati necarentur, adde exemplum Hannonis apud *Just. l. 21. c. 4.* cujus filii & cognati supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem ulciscendam ex tam nefaria domo superfit, *Conf. latè Tesm. ad Grot. l. 2. c. 21. §. 13. l. k.* Imo infepulti abjiciebantur, uti apud Argivos Ægyptus adulter & regni invasor *Homer. Odysf.*

Ergo

Ergo nec leviter glebam injecere perempto,
Illius ut volucres lacerarent ossa, canesq.

Quint. Del. 274. ut insepultus abjiciatur tyrannus ad vindictam ad saturitatem pertinet: non satis putavere majores eas pœnas adversus tyrannum constituere quas posset excipere in vita, multos magis tangit sepultura, ad cogitationem futurorum, pleriq;e gravius monentur. Alia ex Sacris exempla affert *Tesm. ad Gr. l. 2. c. 4. §. 9 seq. l. k.* Etsi hoc ab omni humanitate alienum ac penitus ferinum aliis videatur, *Conf. Nicet. l. 3. in Vit. Alex.*

§. 32. Quin focii & foederati cum adjuvare tenentur, & auxilia foedere pacta mittere *Grot. l. 2. c. 16. §. 17.* non tantum si ad regis utilitatem promissâ sint, sed etiam si regno, etsi id neget *Puff. de J. N. l. 8. c. 9. §. 9.* nam hæc quoq; est utilitas regni legitimū habere Regē, hinc male audit Rex Gallia, qui pacto cum Cromwelio foedere, Carolum II. sanguine & foedere junctum, & exulem ex avito regno, Gallia quoq; excedere jusfit, *d. Bateus p. 2. p. 308. L' Ambass. de Wikef. l. 1. S. 3.*

§. 33. Quid si foedus cum ipso tyranno renovatum sit, an socius populo oppresso vel regi ejecto assistere potest? graviter huic contradicit Nabis Archivorum tyrannus, ita enim Romanos qui hostilia moliebantur alloquitur apud *Liv. l. 34. c. 31.* Nunc cum vos intueor, Romanos esse video, qui rerum divinarum foedera, humanarum fidem socialem sanctissimam habeatis. *Quum ipse respexi, eum esse spero, cui*

Et publicè sicut cæteris Lacedæmoniis (qui etiam à tyrannis regebantur Liv. eod. lib. c. 26. in f.) vobiscum vetustissimum fædus sit: Et meo nomine privatim amicitia ac societas, nuper Philippi bello renovata, & mox, tempus autem eo me liberat quod quum jam Argos haberem, societas vobiscum mihi convenit: Et ut mitterem vobis ad bellum auxilia, non ut Argis præsidia deducerem, pepigistis. At herclè in ea controversia, quæ de Argis est, superior sum; Et æquitate rei, quod non vestram urbem, sed hostium: quod volentem non vi coactam accepi, & porro, de nomine hoc respondere possum: me, qualiscunq; sum, eundem esse, qui fui, quum tu ipse mecum, T. Quinti, societatem pepigisti. Tum me Regem à vobis appellari memini: nunc tyrannum vocari video, Et deniq; nihil posteaquam vobiscum amicitiam institui, cur ejus vos pæniteret, commisi. Verum his omnibus vicissim regerunt Romani: Amicitia Et societas nobis nulla tecum, sed cum Pelope Lacedæmoniorum justo ac legitimo Rege facta est, Liv. d. l. 34. c. 32. Imo nec in sua potestate id fuisse inquit: nam quid minus conveniret, quam nos, qui pro libertate Græciæ adversus Philippum gereremus bellum, cum tyranno instituere amicitiam Liv. d. c. 32. Neq; sane ex eo quod cum Nabide tractaverint Romani, jus aliquod sibi arrogare poterit, quia ejusmodi tractatus instituuntur ex utilitate & necessitate vicinarum Gentium, quæ possessionem

C

non

non verò jus possidendi sequi solent. *Vid. latè infr. §. 48. seq.* Imò posito amicitiam & societatem pactam esse, tamen hoc pactum tantum pertinet ad juris & justitiæ defensionem; unde extendi non potest ad defensionem injuriæ & tyrannidis, quæ proinde salvo fœdere ab ipso socio vindicari potest: Ita Car. IX. transitu per Florentinorum territorium impetrato, Pisanos, dominorum in se crudelitate expositâ orantes ut in avitam assererentur libertatem, immemor pactorum conventorum cum Florentinis, liberos esse jusfit, tradente *Belcario Rer. Gall. l. 5. & Comin. l. 7. c. 7.* Ventilata hæc quæstio fuit in Anglia, cum ob nimiam Hispanorum crudelitatem in clientelam Elifabethæ sese offerrent Batavi apud *Camd. p. 2. p. m. 267.* Rejecit illa ab initio oblationem, asserens: *nihil sibi antiquius esse quam fidem, cum honore conjunctam & principe dignam, tueri; nec dum sibi constare quomodo salvo honore, & conscientia integrâ posset provincias illas oblatas in protectionem, multo minus in possessionem accipere, ceterum apud Hispanum sedulo acturam, ut pax feliciter coalesceret: Verum mox p. 3. p. 411. statuit, & Christianæ pietatis esse afflictis Belgis, ejusdem religionis cultoribus subvenire, & prudentiæ, exitiosas hostium machinas prævertendo, populi sibi commisi incolumitati consulere, idq; non ex gloriæ cupiditate, sed quadam tuenda salutis necessitate. Hinc Belgarum patrociniû palâ suscipit & c.* Ita nostrâ memoriâ Wilhelmus Magnus

gnus Angliæ rex A. m. populum Anglicanum tyrannide Jacobi & Pontificiorum oppressum, ab imminente reipublicæ suæ pernicie, admirandâ virtute liberavit.

§. 34. Quid si invalor auffugerit ad aliquem principem, an hic hospitem suum dedere debet? Sane de Mezentio qui ad Turnum confugerat ducem Rutilorum, *Virg. Æneid. 8. n. 495.* ait:

*Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis,
Regem ad supplicium presenti Marte reposcunt.*

Ita Porphyrogenetus misit ad Chosroem, postulatum, ut dederetur sibi regni affectator; neve in semet ipsum perniciosum statueret exemplum apud *Grot. l. 2. c. 21. §. 4. in not.*

§. 35. Unde nec Asyla hujusmodi invaloribus profunt, quia ideo constituta sunt, ut innocentibus contra vindictam privatam securitatem præsent *Vid. Grot. l. 2. c. 21. §. 5. Vitr. Inst. J. Nat. l. 2. c. 21. q. 9. Heig. l. 9. q. 24. n. 44.* non vero sceleribus impunitatem concedunt: Hinc Athalia regnum Judæ affectans à legitimi regis tutore occisa fuit, etsi ad aras confugerit 2. *Chron. c. 23. n. 15 seqq.* Sic miratur Florus Persem [Lacedæmoniorum tyrannum *Liv. l. 34. c. 26. in f.*] in insulam Samothracem confugisse, *fretum celebri religione, quasi templa & ara possent defendere quem nec montes sui, nec arma potuissent, l. 2. c. 12.* & nullam quoq; inde opem ipsi contigisse tradit *Liv. l. 45. c. 6*

§. 36. Quæritur an quilibet privatus populi jura vindicare, & occidendo invaluorem in pristinam illum liberta-

bertatem restituere queat: optimè hoc negat *Grot.*
l. 1. c. 4. §. 19. Sed pessimâ ex ratione: *quia a leſus, ſive*
Rex ſit ſive populus, maluiſſe in vaſorem relinquere
poſſeſſioni quam cruentis & periculoſis motibus
anſam dare præſumitur; nam prætereâ quod ex præ-
ſumptione nullû jus oriatur *infr. §. 50.* ſequeretur quod ſi
 tales motus inde orituri non eſſent, privatus uſurpato-
 rem occidere poſſet, id quod omninò negamus; cû ille
 tantû injuriam vindicare poſſit, qui eam paſſus eſt,
 adeoq; tota reſpublica, in primis cum vindicta illa vi
 & armis fieri debeat, quæ non niſi à ſumma poteſtate
 vel ejus autoritate adhiberi poſſunt.

Probant hoc exempla Gentium, ita Caſſius & Brutus
 occidendo Cæſarem, tyrannum interfici credebant,
 ſed ideo à populo damnati ſunt *Cic. l. 3. Off. &* juſtâ talio-
 ne eodem quo uſi ſunt gladio, ipſos periſſe tradit *Dion.*
Casf. Hiſt. l. 59. in f. Severus Imperator Pertinacis
 interfectores capite mulctavit *Herodian. in Severo.*
 Domitianus Neronis libertû ob auxilium interfectori-
 bus Neronis latum ad ſupplicium traxit, Regumque in-
 terfectores à Succesſoribus ſeverè punitos lege apud
Reink. de Regim. ſecul. L. 1. claſ. 1 c. 5. n. 39. Clapmar.
de Arcan. dom. L. 3. c. 17. & Bodin. L. 2. de Rép. c. 5.

§. 37. Excipe tamen caſum ſi populus vel Rex
 ejectus in tyranni necem conſentiat, nam cum ipſi in-
 juria facta ſit, illam vindicare poteſt vel per ſe, vel per
 alium, qui proinde nudum eſt instrumentum ejus, cu-
 jus nomine agit. Conſentit autem vel expreſ-
 ſe,

se, ut si ejus autoritate fiat *Grot. L. 1. c. 4. §. 18.* Sic Sacerdos Jojada nomine sui regis, Athaliam tyrannam occidit 2. *Chron. 23. v. 16.* Sic Germaniæ Galliæq; tam Jcti quam Theologi sentiunt: *Licere vim, contra illegitimam Guisianorum dominationem opponere, modo accederet Regiæ stirpis principum, qui in his casibus legitimi sunt & nati magistratus, aut unius ex iis autoritas, aut ex ordinum Regni aut majoris aut sanioris eorum partis consensu id fieret: quippe superfluum esse, Regem eâ de re monere qui ob atatem & nullum rerum usum, rebus suis super esse non possit &c. apud Thuan. L. 24. p. 488.* Idem est si publica lex de interficiendo quocunq; tyranno lata sit *Grot. d. c. 4 §. 17. Vel tacite;* si nimirum postea ratihabeat, ita Amulius occiditur approbante postea populo *Li. v. l. 1. c. 6.* Brutus privato consilio ejiciens Tarquinos adeo laudatur, ut Deorum instinctu id factum putaverint, *Jornand. Succes. Regn. lib. 1. Vid. latè exempla apud Tesm. ad Gr. l. 1. c. 3. §. 8. l. t. & c. 4 §. 7. l. a.* Tacitæ quoq; voluntatis signû est extrema necessitas, si aliter Respubl. se defendere nequit, egregiè *Cic. l. ii. Ep. 7. in f. Voluntas Senatus pro Auctoritate haberi debet, cum auctoritas impeditur metu.* Sic Juditha Holofernem occidens non sine admiratione virtutis necem perfecit; nam in tali necessitate Ebrei constituti erant, ut nec potuerint aliter velle. Et sub his limitationibus verum est quod *Polyb. l. 2. c. 16. p. m. 153. inquit; Quod si Tyrannum quispiam obruncavit, nonne ab omnibus laudabitur, extolletur?*

§. 38. Unde patet minus rectè improbari à Grot. l. 1. c. 3. §. 5. n. 5. factum Octavii & Bruti, qui privato consilio contra Antonium arma sumfere; Senatus enim non habebat exercitum, & torpebat oppressa dominatione Antonii civitas, uti loquitur Vellej. lib. 2. c. 11. hinc jure meritò communis ille hostis ab unoquoque occidi poterat (1.) ex Lege Valeria, quâ occidere eum licebat, qui dominatum concupisceret, Pluth in Publicol. Grot. l. 1. c. 4. §. 17. (2.) Concurrerat extrema Reipublicæ necessitas sufficiens signum consensus, §. preced. inprimis cum in tali necessitate unusquisq; jure necessariæ defensionis sibi suæq; utilitati prospicere queat, Celeberr. Vitr. Inst. Jur. Nat. l. 1. c. 1. quæst. 5. & seqq. Imo (3.) Cicero in Philippicis publicè Antonium hostem declaravit Senatu non contradicente :

§. 39. Non obst. I. ratio Grotii: alleg. loc. Judicium Populi Romani expectari debuisse, cum jure suo uti nemo cogatur, inprimis cum incertum fuerit, anne populus dissimulare potius voluerit. Sed Responsio jam ex allatis rationibus sequitur, nam (1.) propter Legem Valeriam jam constabat de populi judicio, & præterea (2.) illud apparebat ex ipsa necessitate reipubl. per §. preced. & quicquid sit, si ipsa civitas singulos cives defendere amplius non potest, uti in præsentī casu, unusquisq; se ipsum jure necessariæ defensionis tueri potest, Vid. d. l. Nec II. ratio Tesmari ad d. §. 5. l. d. aliquid infert, qui idcò non valere

lere illud bellum putat; quia eripuerunt Senatui occasionem clementiam exercendi, quod argumentum ipsa sua evanescit levitate, nam itidem ex præcedentibus dicendum; voluisse & consentisse Senatum populumque sed posito, tolli clementiæ occasionem, tolli ea licite poterit, quoties unusquisque privatus jure necessariæ defensionis tyrannum invadit, §. *preced.* nam hoc jus à natura quæsitum nec princeps nobis auferre potest.

§. 40. Positis his terminis corrui spontè suâ illa quam *Grot. l. 2. c. 20. §. 17.* movet quæstio, an privatus ita occidens tyrannum, jure id faciat, an verò tantum habeat impunitatem; nam cum privatus ille occidat tyrannum nomine & authoritate summæ & legitimæ potestatis, eodem utitur jure quo ipse populus seu princeps cui facta est injuria, utpotè cujus saltem est instrumentum.

§. 41. Vidimus in præcedentibus quod privatus ejusmodi invasorem occidere non possit: Sed quid de Sociis Regis ejecti dicendum? Sanè ex duplici capite Socii arma contra tyrannum movere possunt, [1.] tanquam Socii & amici: cum enim in legitimo bello ubi dubia adhuc est justitia causæ alii assistere, vel ex jure pacti teneamur, vel jure amicitiae licitum fit, (*Vid. Grot. l. 1. c. 4. §. 1. & 2. & l. 2. c. 25. per tot. Bod. l. 5. Rep. c. f. n. 610.*) multò magis id licitum erit in causa notoriè justa, modo consentiat ille qui ejectus est, (etiam tacite, *Vid. §. 37.*) nam invito
auxi-

auxilium ferre Socii non possunt; hinc *Pluth. in Cat. Maj.* de Antiocho *M.* inquit, eum bello prætextum sum-
fisse liberare Græcos, libertatis non egentes: Sic *Quin-*
tus non ante bellum *Nabidi* inferre & *Argos* tyranni-
de liberare voluit, nisi convocatis prius Græciæ civi-
tatibus, & consensu earum explorato apud *Liv. l. 34.*
c. 22. [2.] Proprio quoq; jure illi Socii debellare Ty-
rannum possunt: Hic enim agitur de causa hominum
communi, utpote cum violetur vinculu humanae socie-
tatis, *Vid. Grot. l. 2 c. 26. §. 8. n. 2. seqq. & l. 2. c. 20.*
§. 40. n. 2. huc facit quod *Theſeus* dicit apud *Euripi-*
dem:

*Pridem facinora nomen hoc per Græciam,
Mibi dederunt, ultor ut scelerum vocer.*

Hinc *Hannibal* Romanis infert bellum ut liberet ter-
rarum orbem ab eorum servitute *Liv. l. 21. 30.* & sæpe
jactant *Romani* non aliam ipsis cum *Perſeo*, *Philippo*,
Nabide &c. fuisse belli causam, quam ut Græciam liber-
tati restituant *Liv. l. 34. per tot.* in primis *c. 22. & c. 32.*
Athenienses prædicabat *Callisthenes*, quod pro *Her-*
culis filiis bellum susceperint, apud *Grot. l. 2. c. 21. §. 5.*
n. 2. in f. & benè in Sen. Herc. fur. n. 920.

*Victima haud ulla amplior
Potest, magisq; opima mactari Jovi
Quam Rex iniquus.*

Et in *Oedip. Tyr. n. 224.*

Regi tuenda maximè regum salus. Est præ-
terea res hæc pessimi exempli; innuit id *Porphyro-*
genne-

gennetus cum à Chosroe regni affectatorem peteret, ne
 scil. Chosræs in semet ipsum pessimū statueret exemplū
 Zonaras, apud *Gr. l. 2. c. 21. §. 4. in Not.* idq; commendat
 Car. II. dum exul, Gentium exquireret opem apud
 Bateum *Mot. Angl. p. 2. p. 191. Principum ac re-*
gum exterorum invocatur fides, quibus æq; singulis
incumbit, pro vicaria supremi numinis authorita-
te, communiq; officio, asyllum oppressis patefacere;
sed § regibus patrocinari præ cæteris mortalium,
 tum cognationis intuitu, tum contagionis metu, ne
 scil. in proprios eorum subditos horrendum serperet
 rebellionis exemplar; ut § ipsi pares in angustias
 fortè coniecti, pares vicissim suppetias reportarent.
 Ubi tamen hoc cavendum, ne Tyrannos ulciscendo
 quæ odissent scelera ipsi imitentur, uti loquitur *Liv.*
l. 21. c. 30. uti hoc olim de Romanis assererat Mithri-
 dates; non eos delicta regum sed vires ac Majest.
 insequi, *Just. l. 38. c. 6. Conf. Not. Var. ad d. c. 6.*

§. 42. Multum autem interest, an quis interve-
 niat tanquam SOCIUS, an vero JURE PROPRIO inju-
 riam juri Gentium & per consequens sibi illatā vindicet,
 nam (1.) ILLO CASU aliquando obligatur & tenetur socij
 ad auxilia, scil. si ex lege fœderis id cautum sit, *sup. §. 32.*
Gr. l. 2. c. 25. §. 4. ibiq; Tesm. sed HOC CASU nunquam,
 nam in arbitrio ejus est, an injuriæ sibi illatæ vindi-
 ctam omninò remittere, & juri suo renunciare velit.
 (2.) SOCIUS est instrumentum causæ principalis, & cau-
 sam alterius sequitur, cum HOC CASU ipse fit causa
 prin-

D

prin-

principalis, omniaq; suo jure agat. Adeoq; (3.) SOCIUS quicquid agit, acquirit, occupat, omnia acquirit causæ principali cujus ipse est instrumentum, adeò ut nihil sibi prædæ capiat, sed omnem ei cui asistit, & cui injuria facta est, hæc enim est natura instrumenti ut à causa principali dependeat, indeq; omnem agendi effectum consequatur; sed HOC CASU quicquid à tyranno capit, sibi acquirit. [id quod tantum intelligendū de reb9 tyranni propriis, nam illa quæ ad alios pertinent etsi possessa à tyranno, suis dominis omninò restituenda sunt, *Gr. l. 3. c. 5. §. 5. Vitr. Inst. Jur. Nat. l. 3. c. 5. §. 3. seq.* quia occupatione non potest plus juris acquirere, quam ipse Tyrannus habuit, adeoq; nullum;] hinc [4.] PRIORI CASU impensas regulariter repetit socius, quia alienum negotium gerit, in quod aliquid impendit; sic Abrahamus Lotho asistens, impensas in servos factas repetit *Gen. 14. v. f.* HOC CASU nihil repetit, quia non gerit negotium alienum sed proprium, vindicat enim injuriam juri Gentium & per consequens sibi quoqve illatam: [5.] Si tanquam SOCIUS alteri asistit, non clarigatur: quia sufficit causam principalem clarigatam esse socii verò sunt accessio hujus causæ clarigatæ *Dn. Coccej. in Disf. de Clarig. §. 12. & 13.* ubi & alias vide rationes. Si JURE PROPRIO agit, tunc ipse & clarigare, & clarigari debet, quia proprium jam bellum est, quodlibet autem bellum à clarificatione five indictione inchoandum est. *d. Disf. §. 14.* vid. tamen *sup. §. 22.*

§. 43. Quæ hæcenus dicta sunt ad invasorem pertinent

tinent quamdiu talis est, potest tamen fieri ut ex post facto jus quoq; acquirat, & tunc ex hoc tempore omnia jura legitimi Regis ipsi competere nullum est dubium, bene *August. ad Psalm. 124. Aliquando injuste perveniunt ad honores seculi; cum pervenerint, & facti fuerint iudices vel Reges &c. non potest fieri nisi ut iis exhibeatur honos debitus*: Fieri autem hoc potest duplici modo.

§. 44. I. Si læsus, five populus five Rex, renunciaret Imperio; unusquisq; enim suo juri renunciare potest. Ita Cæsar tyrannide Regnum occupavit, sed ad eò postea ejus probavit imperium S. P. Q. Romanus, ut publicè receptus fuerit, *Dion. in Cæs.* Sic Cicero in *Orat. pro Dejot.* gratiam ab ipso pro reis poscit; acta ejus, five ad honores five ad magistratus pertinerent, rata esse jubebantur, *Zonor. in annal. lib. 2. Cic. phil. 1. & 2.* Imo quam cædes illius improbata fuerit supra retulimus, §. 36. & eleganter refert Güntherus

*Sic Augustorum primus summusq; Monarches,
Eximusq; nepos crudelia Cæsaris olim,
Hostibus extinctis, pius ac fortissimus ultor,
Protinus accepto diademate fata perivit.*

Deniq; ipsi divinos honores decretos tradit *Plut. in Cæs. c. 92.* Hæc vero remissio ex tacita quoque voluntate apparere potest, si nimirum occasio omittatur, quâ læsus tutò jus suum recuperare potuit; tuta autem occasio est quando certum est, alterum viribus nobis parem non esse; & ex hoc capite se defendit Jephtha

contra Ammonitas dum allegat quietam & continuam trecentorum annorum possessionem *Jud. 11. v. 13.* Quod etiam facit Sulpitius Consul contra legatum Antiochi apud *Liv. l. 3. c. 16.* & ipse *Thuanus l. 65. ad ann. 1578.* negat Catharinam de Medices Regnum Lusitaniæ repetere potuisse quia ejus antecessores animum recuperandi diu deposuerant :

§. 45. Non tamen illa voluntas elici potest ex solo longi temporis lapsu, nisi simul occasio fuerit repetendi, eaq; prætermisâ sit, *ex §. præc.* Rationem egregiam supeditat *Gr. l. 2. c. 4. §. 12.* quia tempus per se nullam habet vim effectricem, imprimis cum per temporis diuturnitatem augeatur potius injuria *c. 5. X. de Præscr. Osiand. ad Grot. l. 2. c. 4 §. 15.* Hinc male longam possessionem Hispani objiciunt Domui Bragantinae, nam (1.) nulla fuit occasio repetendi ob Hispanorum potentiam, accedit (2.) quod Bragantinus quoq; auxilia apud vicinos quæsi verit, adeoq; nondum deposuit animum recuperandi *Disf. Dn. Coccej. de Just. Bell. & Pac. Regn. Port. pag. 24.* Sic Angli retinendo titulû & insignia Regni Galliae, satis probant animum retinendi juris, ipse *Comin. l. 1. in pr.* ait *Teñere domum certâ spe redeundi &c.*

§. 46. II. Alter modus acquirendi justum ex post facto imperium est præscriptio immemorialis, quando scil. præsentis possessionis initii memoria non existat, tunc enim ipsâ quoq; naturali ratione possessio firmatur, *Dn. Coccej. Hyp. Instit. tit. de Præscr.* adversarius enim nullum contrarium jus allegare potest, suppo-

supponimus enim illud obliteratum, & sic paria sunt non esse & non apparere, (quo ipso evanescit limitatio Grotii in l. 2. c. 4. §. 7. ubi concedit extingui hac præscriptione litem, nisi validissime in contrarium sint rationes, nam tunc non est immemorialis præscriptio quamdiu memoria per contrarias rationes existat.) Adeo, ut cum ratione insaniant Galli qui omnem præscriptionem inter Principes negant, apud *Camd. Vit. Elisab. p. 1. ann. 1567.* nixi auctoritate LL. 12. tabb. adversus hostem æternam debere esse auctoritatē, Idem statuit Author vitæ Richelii in Ann. 1633. & omnium maximè *Bod. l. 6. de Rep. c. 6.* ubi apud omnes ferè gentes ita doceri & obtinere tradit, quæ forte alibi plenius excutiemus.

§. 47. His duobus casibus populus & princeps ejecto omne jus suum transferunt in usurpatorem, adeo ut populi oppressi nunquam in libertatem se recipere queant *Grot. l. 1. c. 4. §. 14. Et l. 2. c. 4. §. 14. nam illa quæ vi parta primum sunt imperia, possunt ex voluntate [adde & immemoriali possessione §. præc.] jus firmum accipere. Grot. d. l. optime Josephus apud Grot. d. l. 2. qui victi semel sunt & longo tempore paruerunt, si jugum excutiant, faciunt quod desperatorum hominum est.* Hinc injustè pariter ac infelicitè Thebani desiderio recuperandæ libertatis arma contra Macedones movent, *Arrian. l. 1. p. m. 18.*

§. 48. Constat equidem ex antedictis adeo nullum jus Imperii esse penes Usurpatorem, ut potius

omnes ejus actus sint merae injuriæ: At tamen, cum invalor actu imperium teneat, illudq; possideat, necessario inde sequitur quædam Reipublicæ cura atque administratio *sup. § 7. Et infr. §. 50. Et §. 60.* id quod paulò plenius discutiendum jam erit, ut appareat quò nam sensu verum sit quod Grotius ait, *l. 2. c. 23. §. f. n. f. Possessio sine jure habet quosdam juris effectus.*

§. 49. Quod autem Usurpator verissimè & plenissimè possideat, extra omne dubium positum esse putamus, idq; ex naturâ possessionis, quæ in mero facto consistit, *L. 1. §. 4. l. 3. §. 5. l. 29. ff. de Acquir. poss. l. 12. §. 1. de Capt. Et postl. revers.* adeoque penes omnem eum esse dicitur, qui animum ac facultatem naturalem rem sibi tenendi habet: Neque enim idèò definit esse possessio, quia injusta est; nam injustissima quoq; possessio verissima tamen est possessio; uti egregiè id demonstrat *Dn. Coccej. in Dissert. de jure ejus quod fact. Sect. 3. §. 2. seq.* Ipse Ictus hoc asserit *in L. 2. ff. uti possid. In summa possessionis nihil refert justa an injusta sit, & addit qualiscunq; possessor (etiam violentus) hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quam qui non possidet.*

§. 50. Hocposito, possessionem Imperii plenissimè esse penes injustum invalorem, simul & eo ipso necessario inferri administrationem diximus §. 48. cum enim Respublica per se & suapte virtute subsistere nequeat; sed uti pupillus necessario aliorum curâ indigeat; (unde etiam Respubl. pupillorum jure uti dicitur

dicatur *l. 3. C. de Jur. Reipubl. ibiq. Godofr.*) & verò per naturam impossibile fit, ut princeps ejectus qui nec præfens est, nec naturaliter rem tenet, necessariam illam curam adhibere queat; quid aliud inde inferri potest, quam curam hanc eis relinquendam esse qui in possessione sunt, neq; hactenus princeps ejectus contradicere poterit, utpote cum nullum ejus hactenus sit præjudicium, quin potius maximè ejus interest conservari Rempublicam, quod demum fit per administrationem.

§. 51. Quin tantum abest non competere in vasoribus administrationem, ut ad illam magis eos obligatos esse credamus; exemplo furis & prædonis, qui omnem diligentiam etiam exactissimam in re aliena præstare debent; neq; enim mala fides efficit ut minus, sed ut magis quoq; ad custodiam rei teneantur per *L. 6. §. 3. Neg. gest. Sed Et si quis negotia mea gesfit non mei contemplatione, sed sui lucri causa: Labeo scripsit, suum eum potius quam meum negotium gesfisse: qui enim depradandi causa accedit suo lucro non meo commodo studet, sed nihilo minus, immo magis Et is tenebitur negotiorum gestorum actione, neq; sane melioris debent esse conditionis usurpatores, quam legitimi administratores, qui tenentur rem factam tectamq; servare.*

§. 52. Minus ergo accuratè *Crotius l. 1. c. 4. §. 15. n. 1.* tali injusto possessori vim obligandi tribuit ex eo quod omninò probabile sit populum vel Senatū id malle interim rata esse que imperat, quam legibus
Judi-

judiciisq; sublati summam induci confusionem. Cum enim [1.] Usurpator non ex suo jure, quippe quod nullum est uti ipse loquitur *Gr. d. l. § l. 2. c. 16. §. 18.* vim illam habeat, sanè illa præsumtio *populum id male* non sufficiet ad jus ipsi tribuendum, utpote quod non transfertur nisi ex voluntate populi satis declarata *Grot. l. 2. c. 11. §. 4.* inprimis cum præsumptiones fictione atque incertitudine nitantur, quæ veritati atque certitudini juris Gentium penitus contrariantur, *Vid. Dn. Pres. in tract. de Princip. Jur. Nat. part. 1. quest. 2.* [2.] Hâc fictione supposita ille Usurpator omnia ageret vi taciti mandati, adeoq; justè, utpote consentiente eo qui jus prohibendi habet, quod tamen negamus *sup. §. 15. § seq.* Quin [3.] hoc ipso sequeretur, quod, si Rex, Senatus, vel populus exclusus contrariam declarent voluntatem, *quod nolint rata esse quæ imperat*, subditi usurpatoris obtemperare præceptis nequeant, vicini commercia cum eo habere non possint, &c. quæ tamen omnia etiam iis invitis effectû habent ex possessione & administrandi onere ac necessitate, *Vid. sup. §. 50. & infr. §. 54. § seq. inprimis §. 60. § seq.*

§. 53. Unde jam infero I. Quod cives quoque concurrere possint, in hoc onere administrationis quia nullum Regis ejecti est præjudicium, sed potius ejus interest Regnum interim communi opera conservari, non perdi, *sup. §. 50.* II. Quod cum extraneis quoque fieri possint omnia sine quibus administrationis
onus

onus expediri nequit, adeo ut Rex legitimus reversus ea confirmare teneatur *vid. infr. §. 61. Et seq. III.* Quod extranei non teneantur sequi illam possessionem quæ mera injuria est, ast tamen possint sequi si velint, uti si necessitate quadam ducantur, vel utilitate suæ rei publicæ moveantur. Bene hoc monet *L' Ambasad. de Wikef. L. 1. Sect. 3.* *L' usurpateur aura de la peine à faire admettre ses Ambassadeurs, si le Prince à qui il envoie ses ministres n'a quelque intérêt qui l'oblige à rechercher ou à souffrir son amitié: & mox: Les Princes à qui on envoie des ministres n'ont pas accoustumé d'examiner les titres de ceux qui les employent, Et se contentent d'en considerer la puissance Et la possession:* Hinc nunquã Moscoviæ gentes commercia cum Anglis Regicidis exercere voluerunt, utpote cum nullâ tali ducerentur utilitate. *Gregor. Letinella vita di Olivier. Cromvo. Protestarono i Moscoviti, di non voler mai corrispondenza alcuna con i patricidi del loro Re, Et à questo fine publicarono che sotto pena della vita nisuno ardisse piu corrispondere, trafficare, o negoziare con Inglesi.*

§. 54. Hinc omnia facile deciduntur de quibus forte dubium superesse possêt: An nimirum vicinæ Gentes ejusmodi Usurpatoribus regios tribuere titulos possint? Equidem Regios honores tantum legitimo Regi deberi nemo inficias ibit, nec injusta expulsiõ hoc jus semel quæsitum ipsis auferre poterit: D'Aubigni Historicus Gallus refert Sebastiani Lusitani agnatos

gnatos in exilio semper Regio honore exceptos / suis se.
 Car. II. Legatos iisdem, quibus alii Regum legati solent,
 ritibus ac cæremoniis receptos legimus: & ne præten-
 tum Walliæ Principem omittam, hodieque ille re-
 gum Angliæ jura sibi arrogat; unde nuper quoque
 nuncium illum prælii Cremonensis equitem perisce-
 lidis creavit, ex quo facto (etsi ex nostra hypothesi
 injustissimo) consensus Gentium luculenter apparet.

Posunt tamen vicinae Gentes titulos Regios sine
 injuriâ tribuere Usurpatoribus; cum enim (1) sæpius ex
 necessitate suæ Reipublicæ tractare cum ipsis necesse
 habeant, & verò tyrannus neminem admittat nisi Re-
 gium cultum exhibentem, nihil quoque hætenus vi-
 cinis imputari posse putamus, inprimis cum (2) nullum
 inde præjudicium fiat legitimo Regi, cui (3) accedit, quod
 tituli non indicent quales sint potestates, sed quales es-
 se debent: Sanè Cromwelium se Dei gratiâ Protecto-
 rem scripsisse patet ex nummo quem exhibet *Greg.
 Leti part. 2. l. 5. p. m. 316.* ubi addit, *che fu il titolo
 del qvale si serui sempre nelle patenti.*

§. 55. Ex eadem utilitate atque necessitate legatos
 Usurpatorū admissos legimus, uti hanc rationem refert,
 illamque exemplis comprobat. *L. Ambass. de Wikef.
 sup. §. 53.* allegatus. Ita exstant splendidae legationes
 Cromwellii in Lusitaniam *Bateus Mot. Angl. p. 2 p.
 281.* in Poloniam *ibid. p. 302.* in Sueciam *pag. 199.* ad
 Belgas *p. 189.* in Hispaniam *p. 195.* in Galliam *p. 192.* ad
 aulam Ottomannicam *p. 192.* Imo Mediator fuit
 inter

inter Danum & Sueciæ Regem *ibid.* p. 125. Hinc vicissim ab iisdem Regibus ad eundem etiam de nova Republica gratulabundi mittuntur: uti Don Alfonso Marchio de Cardenas ab Hispano *Greg. Leti* p. 2. l. 3. p. 165. Comes de Langerfeld, à Regina Sueciæ *ibid.* p. 168. à Belgis *ibid.* p. 170. &c. Notandum hactenus quoque inuasorum legatos Sanctos atq; inuiolabiles haberi, aded, ut cum Alchamus Cromwelii legatus confoderetur, omnis satisfactio ideo promissa sit apud *Bateum* d. p. 2. p. 169. & occiso Dorislao sæpius petita, sed comperendinando tandem frustrata est vindicta d. p. 2. p. 138. & *Greg. Leti* p. 2. l. 3. p. 171. Interim tamen sæpius ejusmodi legatos rejectos historiam evolyentes invenimus, & exempla *supra* §. 20. retulimus. Conf. *L' Ambass. de Wikef.* l. 1. Sect. 3.

§. 56. Porro quæritur, an Usurpator jus sequelæ habeat, ita ut subditi eum in bellum sequi teneantur? Resp. Bellum decernitur vel ex necessitate Reipubl. contra extraneum lædentem, vel contra verum principem, aut contra ejus socium. PRIORI CASU omninò sequuntur, quia defendere debent Rem publicam contra quemvis hostem & ducem jam accipere tenentur illum possessorē, sed HIS CASIBUS difficilis videtur decisio, an coacti arma sumere debeant, an vero extrema potius pati, uti sub Car. II. plurimi Anglorū passi sunt? Sanè illud quoque excusatum fuisse propter ultimam necessitatem certum est, quia is ferè status est tyrannici Imperii, ut cives non possint declinare obsequia tyranni, & egregie

giē probatur ex eo quod de Atheniensibus temporibus Mithridaticis diserit *Vellej. Paterc. l. 2. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnata à Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimium veri vetustatisq. ignarus est; adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper. Et in omni re quicquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Cæterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis; cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, Et animos extra mœnia, corpora necessitati servientes intra muros habebant. Confer. *Crot. l. 3. c. 11. S. 3.* Hinc *Thrasylulus* patriam liberaturus violare vetuit cives sub auspiciis 30. tyrannorum pugnantibus & mox fugientes *Nep. in Thrasib. c. 2.* quia scilicet servit plurimos coactos arma sumsisse.*

§. 57. Ita non tantum secularia administrat Usurpator, sed etiam Ecclesiastica: ac proinde subditi leges ab ipso circa rem sacram latas observare debent, modo non sint contrariae Legibus Divinis & Majestati summi numinis; nam sacra quoque administrari ac conservari quam maximè Reipubl. interest, adeoque hæc quoque ad onera possessionis pertinent, unde *Cromwellium* commendat *Leti p. 2. l. 5. p. 327.* quod fuerit *infallibile nel regolare il sagro Et il profano.*

§. 58. Ex hoc principio reliqua quoque possessionis onera facile demonstrari possent, foedera enim ex utilitate Reipublicæ pacta, bella cum ipsis secundum omnes

mines solennitates gesta, pacis jura cum ipsis communi-
cata, latus hic describendi campus esset; Sed cum
posito principio res dubio careat, & propositum sit
compendio rem agere, late eâ in præsens non cumu-
labimus; Adde tamen ea quæ *infr. §. 64. & 65.* dicentur.

§. 59. Superest ergo ut examinemus, quid juris sit
circa actus intermedii temporis, cessante & finito usurpa-
toris imperio? Alii nullos esse affirmant, de quibus mox,
alii negant uti *Bartol. in tract. de Tyrannid. Dec. Conf.*
25. Bald. Conf. 228. Alii, distinguunt an acta statum
tangant, an partes, illo casu nulla dicunt, non hoc, *Ur-
sill. ad Afflict. dec. 77. n. 3.* Alii an in favorem Usur-
patorum & odium alterius facta sint & hætenus quoq;
nulla esse, aliàs non. *Math. d. dec. 77. n. 1.* Sed in promptu
est decisio ex traditis *sup. §. 17.* Sunt enim ipso jure nulli
illi actus, nec ullam vim obligandi habent, utpote
cum jus Imperii à quo omnia illa acta dependent, ty-
rannus non habeat, & in primis cum inter sit Reipublicæ
*ne sublato tyranno maneret tyrannis Cic. l. 14. ad
Att. ep. 16. non enim debet ratum esse quod per vim
fit uti idem Cic. l. 3. off. c. 30.* loquitur, idque late &
communiter tradunt *Ursill. ad Matth. de Afflict. dec.
Neap. dec. 77. n. 6. Ruin. in Conf. 105. 1. Vol. Matth.
de Afflict. d. l. dec. 70. n. 1. Myns. Resp. 19. n. 6. decad.
Reink. de Reg. Secul. l. 1. clas. 1. c. 5 n. 46.* Hinc acta
Neronis rescissa legimus apud *Suet. in Galb. c. 15. Li-
beralitates Neronis non plus decimis concessis, per
quingenta equites Romanos eâ conditione revo-*

candas curavit exigendasq;: ut *Et* si quid Scenici
aut Xystici donatum olim vendidissent, auferretur
emtoribus quando illi pretio absunto solvere nequi-
rent. *Add. Tacit. Annal. lib. 3. Syllæ acta revocata sunt*
à Lepido *Flor. l. 3. c. 23. Cic. in Verr. 5. c. 23. Cromwelii &*
Pseudosenat9 acta flammis devoverunt populi Magnæ
Britanniæ, coq; omnia irrita pronunciarunt Bat. Mot.
Angl. p. 3. pag. 95. Sicyonii à Nicocle Tyranno ex-
pulsi, & ab Arat9 restituti, bona sua vindicarunt à pos-
sesforibus Plut. in Arat. c. 11. Cic. 2. off. c. 23. De a-
ctis M. Antonii egregiè diserit Cic. phil. 5. p. m. 871.
quibus de causis eas leges quas M. Antonius tulisse
*dicitur, omnes censeo per vim *Et* contra auspicia la-*
tas, iisq; legibus populum non teneri, & mox, quam-
vis ergo bonas leges vitiosè per vimq; tulerit, tamen
hæ leges non sunt habendæ. Post Hieronymi Siciliae
tyranni eadem omnia edicta rescissa sunt, non tantum
iniqua, sed etiam utiliter constituta, ne ulla usquam
extarent vestigia tyrannorum Bod. de Republ. l. 2. c.
5. p. m. 280. Ita acta Car. VIII. à Ferd. I. omnia rescissa
sunt Matth. de Afflict. dec. Neap. 55. Item Wenceslai
à statibus irrita prænunciata refert Myns. Resp. 19. n. 6.
Alfonfus II. antecessoris Mauregati tyranni pactu de tri-
*butis virginum solvendis sustulit Marian. l. 7. c. 7. *Et* c.*
§. 60. Facile hinc deciduntur variæ tam olim,
quam nostris temporibus agitæ quæstiones; I, Si
Usurpator quædam subditis extorta aliis donet, & hi
donatarii aliis iterum rem donatam vendant, an si acta
usur-

usurpatoris postea rescinduntur, & sic res vendita pristinis dominis restituitur, emtor pretium, quod venditori pro re illa solvit, repetere possit? Ex principio nostro dicendum erit, quod donatio usurpatoris ipso jure nulla sit utpote de re aliena, unde sequitur venditionem quoque non valere, quia venditor non plus juris transferre potest, quam ipse habet, adeoque nullum; Sic Galba Neronis donationes auferre iussit emtoribus, *Suet. in Galb. d. l.* Cum ergo venditor pretium ultra suum habeat, tenebitur omnino illud emtori restituere:

II. Quid si tyrannus id quod civis aliquis Republicae debet, vi exegerit, an tyranno ejecto Respublica suum debitum denuò petere potest? Affirmatur: nam (1.) non valet solutio quae alii fit quam creditori, & (2.) debitori à latronibus id exactum censeri debet adeoque casu, casus vero nocet domino: hinc (3.) iudicatum illud Neapolitanum quo debitores, qui Car. VIII. Usurpatori publica debita solverant, ab ulteriori praestatione liberabantur apud *Matth. de Afflictis Dec. Neap. 150.* non tam ex juris ratione desumptum videtur, quam ex aequitate de qua §. seqq.

III. Si Usurpator aliquem injusto carcere detinet & cogit, ut rem quandam vendat, & inde redacta pecunia se liberet; Quæritur an ejecto tyranno possit rem venditam repetere ab emtore? Affirm, quia ex *tot. tit. quod Met. caus.* omnia, quae vi metuque

tuque fiunt, rescinduntur; & ita decidunt *Cas. Ursell. ad Matth. de Afflict. dec. 149. Paul. de Castr. in L. Non interest Cod. Quod. Met. Caus.* Exceptionem *vid. infr. §. 65. n. 2.*

IV. Quidam Barones Regni, carcere detenti à Regibus Arragoniæ, debitores habent, hi debitores à fisco Regio exiguntur; Succedentibus Gallis liberantur Barones à carcere, & eorum debitores denuò condemnantur non obstante solutione semel Regibus Arrag. factâ, Quær, an ejectis iterum Gallis vim habeat hic actus? *Neg. Matth. de Afflict. Dec. 149. in f.* si debitores non fuere in mora, nam semel debitores solverunt ex mandato Regio, adeoq; rite liberati sunt, debitumq; est extinctum: quicquid ergo contra hanc solutionem tentarunt Galli, ipso jure nullum est, nec ullum effectum habere debet.

§. 61. Firma ergo hactenus est regula quod tyrannorum acta ipso jure nulla sint, adeoq; iis extinctis, rescindi possint & soleant: Sunt tamen quædam exceptiones unde apparet aliquando tyrannica quoq; acta valida esse, & uti Grotius loquitur *injustam possessionem juris habere effectus*, adeò ut nec à populo vel Rege restituto rescindi queant.

§. 62. Idque I. si quædam gesit tyrannus antequam degeneraret, adeoq; cum tanquam Rex legitimus Rempublicam sibi commissam administraret, tunc enim id quod semel rite gestum est ex vitio superveniente tolli nequit: *Vid. Diss. Dn. Coccej. de Claus.*

Claus. reb. sic stant. cap. 2. per tot. neq; unquam de eo dubitatum meminimus.

§. 63. II. Altera exceptio est quod valide obligetur respublica, quoties illa locupletior facta est ex actis & gestis tyranni, non quidem jure administrationis, sed quia in utilitatem & rem principatus id versum est, ejusq; conditio melior inde redditur: neq; hactenus injuria ulli fit, nam quilibet, etsi non sit legitimus administrator, tamen conditionem alterius meliorem facere potest, estq; hactenus negotiorum publicorum gestor, & beneficium tribuit Reipublicæ, quod unusquisq; & privatus potest; hinc bene *Grot. L. 2. c. 14. §. 14.* inquit, *de in rem verso tamen tenebitur, quatenus locupletior factus est.* Ita etiam jus civile decidit in malæ fidei gestore *L. 6. §. 3. Neg. Gest.* Ipse tamen, si circa res meas aliquid impenderit; non in id, quod ei abest, quia improbe ad me negotia accessit, sed in id quod locupletior factus sum, contra me habet actionem.

§. 64. III. Tertia exceptio fundatur in *l. 3. de Off. Prætor.* ubi servus aliquis prætoris officium subit, & dum publico errore liber putatur, multa edicit, multaq; decernit, & tamen deciditur in *d. l. nihil eorum reprobari*: additurq; *idem jus multo magis in Imperatore observandum esse*: nimirum si Usurpator publico Gentium errore putetur Rex legitimus, uti Oropasta, (qui fraude sub specie Mergidis Persarum regnum occupavit) apud *Just. l. 1. c. 9.* tum omnia quoq; ejus gesta

F

propter

propter publicum illum errorem valida esse debent; error enim publicus aliis, extraneis inprimis, nocere non debet.

§. 65. IV. Quarto loco illa quoq; valida erunt; quæ ex necessitate Reipublicæ, aut aliâ quâdam utilitate geruntur, hæc enim necesariò ab Usurpatore propter possessionis onus peragi debent; *sup.* §. 49. Et sò adeoq; alienationes ex necessitate reipubl. factæ ideo confirmari necesse est: Item judicia, processus & lites, interim vel coeptæ, vel continuatæ, vel finitæ plenissimam juris vim atq; autoritatem habent;

Unde iterum apparet decisio quorundam casuum temporibus Car. VIII. qui regnum Neapolitanum paucis mensibus usurpavit, ventilatorum. I. Palamedes debebat Gallis 100. & ideo incarceratur, Archiepiscopus Brundusinus pro ejus liberatione fidejebet, & solvit. Gallis ejectis Archiepiscopus actione intentata solutum pro Palamede repetit; Negat Palamedes se obligatû esse allegans injustam Gallorû vim, unde nihil valere potest. Sed communi Consilii Neapolitani voto Palamedes condemnatur apud *Matth. de Afflict. Dec. Neap.* 149. quia Archiepiscopus solvit pro liberatione palamedis, (etsi injuste incarcerati) hoc negotium licitum est, unde oritur obligatio prout partes disposuere.

II. Quidam ex justa causa à Gallis incarceratus debitum solvere tenetur creditori suo, vel propriam rem vendere, ut exinde redactâ pecuniâ se liberet, Quæritur an ejectis Gallis hi debitores possint solu-

solutum repetere, vel recipere ab emtoribus rem, quam ex necessitate vendiderunt. Neg. quia in processu nullum vitium est, justâ enim ex causâ incarcerati, justè quoq; damnati sunt, quæ ergo ita acta sunt, ex utilitate reipublicæ valida esse debent, atq;ve ita decidit *Ces. Ursell. ad Matth. de Affl. dec. 149. n. 3. seqq.* Vid. *sup. §. 60. n. 3.*

III. Baro aliquis incarceratur à Regibus Arragoniæ, & cum debitores haberet, sed morosos, fiscus regius ab his nomina exigit: Supervenientibus Gallis liberatur Baro, & solutio fisco regio facta nulla declaratur, adeoque debitores denuo Baroni solvere debent; hinc quæstio exorta est expulsis Gallis, an actus hic nullus sit? & Negatur, quia revera malè & ex injusta causa, utpote post moram, regibus solutum fuit, adeoque debitores liberati non fuerunt, hinc ergo actus ille justitiæ non rescindi debuit, uti ita decisum refert *Matth. Afflict. Dec. Neap. 150. n. 27.*

IV. Terminus aliquis ad probandum à Gallo judice concessus erat, negligitur vero ille terminus, & ejectis demum Gallis probatio fit. Quær. an probatio facta valeat? videtur Negativa verior quia dilatio illa concessa est à tyranno cujus acta omnia ipso jure nulla sunt; sed rectius *Matth. de Affl. Dec. 55.* affirmat, licet ex falsa racione, quia probationes factæ etiam valent sine dilatione data, vera enim ratio est quod interfit maximè reipublicæ ut lites interim gerantur, adeoque dilationes quoq; uti totius processus cura, sub onere administrationis continentur. V. Di.

V. Dilatio à legitimo principe data fuit, sed ad-
 ventu Gallorum interrupta est; Quær. an redin-
 tegrari debeat dilatio, an vero possit in contumaciam
 procedi, & hoc ultimum affirmatur *Matth. de Affl.*
dec. Neap. 50. n. 1. seq. quia debuisset comparere, ut
 pote cum iudicia vi administrationis cum effectu
 quoq; vigeant: nisi pars exciperet contra locum ob
 turbas & usurpatoris violentiam non tutum *Matth.*
de Afflict. d. l. n. 5.

VI. Quær. an confessio facta tempore tyranni
 valeat? Affirm. *Ursell. ad Matth. de Afflict. dec. 77.*
 qui rationem addit: *quia confessio non tangit statum,*
sed partes, sed veram rationem dedimus in præceden-
 tibus, quod hæc pertineat ad iudicia adeoque ad ju-
 stitiæ administrationem quæ ab omni possessore fieri
 debet.

VII. Quær. an qui processum inchoat sub regi-
 mine ejusmodi tyranni, tyranno ejecto debeat tan-
 quam temerè litigans refundere expensas; affirmat hoc
Matth. de Afflict. dec. Neap. 69. quia sub tyranno ni-
 hil agi potest, adeoq; quovis nullitas est in proces-
 sibus fieri debet refusio expensarum. Rectius tamen
 negat *Ursell. ad dict. dec. 69. quia iste actor justa de*
causa fuit motus ad movendam litem tempore ty-
rauni, non ut tyranno faveret, sed ut suum conse-
quatur, vel potius, quia agitur de justitiæ admini-
 stratione quæ ex necessitate reipublicæ ab omni pos-
 sessore fieri potest & debet, igitur non debet ad expen-
 sas condemnari. *Ursell. d. l.*

VIII. Quær. an acta officialium qui fideles sunt Regi legitimo & interim metu saltem tyrannum sequuntur, valida esse debeant? Affirm. *Matth. de Afflict. dec. Neap. 77.* additq; rationem, quia non coactè subditi horum præceptis obtemperant; verum ratio hæc huc non quadrat; nam etsi (1.) officiales illi sint infideles & rebelles, nihilominus acta illorum quatenus ex Reipublicæ necessitate gesta sunt, valent *sup. §. 50.* Hinc (2.) nec altera distinctio valet, quam adhibet *Matth. allegat. loc.* an nomine tyranni, an nomine proprio agant, utroq; enim casu non aliter valet quam quia est onus possessionis *sup. §. 50. & §. 65.*

IX. Ultimo loco quæritur, an sententia ab Usurpatore lata vim juris habeat, videtur id negare *Matth. de Afflict. dec. Neap. 62.* Sed malè, nam uti omnis justitiæ administratio possessori necessariò incumbit, sic etiam hæc tenè validè sententiam pronunciare potest.

sup. §. 66. Deniq; & V. valent à tyranno gesta si utilitas Reipublicæ requirat ut etiam illa quæ ipso jure nulla sunt, confirmentur; hæc proinde non subsistunt vi suâ, sed ex prædicta confirmatione seu ratihabitione, saltem tacitâ: Quod tum imprimis dicendum, si acta nullam iniquitatem contineant, *nam cum tyrannide quoq; multæ bonæ leges consistere possunt*, teste Aristide apud *Grot. L. 3. c. 3. §. 2. n. 2.* id quod de Cromwelio dici meretur, qui ideo imprimis laudatur à *Bateo in Mot. Angl. p. 2. p. 292. Justitia interim (ne præter meritum*

tum vapulet) ad pristinum ferè decus & Splendorem instituitur; legibus in foro vim suam in uniuersos exerere permisit absq; omni mora vel obstaculo: Pax alma quã patet Anglia effloruit. Unde Gregorius Leti suam de Cromwelio historiam ita inscribit:

Tiranno senza vizi

Prencipe senza virtù.

& talem cum repræsentat: In somma quasi infallibile nel regolare il sagro, & il profano, è nel riuscire in ogni qualunque intrapresa, è se in luogo di diuennire usurpatore, è Tiranno, col coraggio, col senno, è con la spada fosse nato Prencipe con tali doni, habrebbe seruito di stupore alla natura P. 2. L. 5. p. 327. seq. & L. 8. p. 539. & seq.

§. 67. Cum ergò interfit sapius reipublicæ, ut de facto bene existimemus, de faciente male, Sen. L. 3. de ira c. 28. & turpi mutato authore bona ut maneat sententia Gell. Noct. Att. L. 18. c. 13. Pari ratione hic quoq; si actus tyranni rescindi non expediat, confirmandi omninò erunt, ita enim Lentulus dum Syllæ acta rescindebat bello civili causam dedit Florus L. 3. c. 23. cupidus namq; rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat; Si tamen posset sine magna clade Reipublica: Sic Aratus nec voluit, nec potuit possessoribus jam auferre, quæ post 50. annorum possessionem sine injuria tenebant apud Cic. 2. off. c. 23. Sed cum magnam animad-

nimadverteret in bonis & possessionibus difficultatem, quod & eos quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitratur, & quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur; sine injuria judicavit neq̄ illis adimi, neq̄ his non satis fieri quorum illa fuerant oportere &c. & mox narrat quemadmodum à vicino quodam & amico Rege pecuniam comparaverit eamq̄; Sicyonē attulerit, & tum pergit; Adhibuit sibi in consilium 15. principes cum quibus causas cognovit & eorum qui aliena tenebant & eorum qui sua amiserant: perfecit que estimandis possessionibus, ut persuaderet aliis ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: aliis ut commodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes concordia constituta sine querela decederent.

§. 68. Apprimè rem illustant illa quæ Bodinus d. lib. 2. c. 5. p. m. 281. hanc in rem affert. Sæpius tamen quæ laudabilia fuerunt probari solebant. Inde illud Ciceronis nihil usitatus, quam tyrannorum acta valere, & eorum tamen interfectores in celo collocari. Idem tamen alibi Magnum inquit, τὸν ἄριστον ἀπὸ τῶν ἀρχαίων ἐπισημαίων *veniendum ne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. Sed questionis utriusq̄, eadem ratio est: nam si ty-*
ranno

Anno de rebus honestis deliberanti, consilium in-
 pertiri nefas est, ne tyrannis comprobari videatur:
 edicta quoque ac decreta utiliter abrogare necesse fu-
 erit, aut tyrannidem ratam habere: certè virorum
 bonorum consensus plurimum valet ad acta tyran-
 ni sancienda ac stabilienda, quæ alioqui solà tyran-
 nidis opinione ruitura essent. At sæpissime tyran-
 norum acta non modo utilia, sed etiam iniqua quæ
 sunt, rata sint oportet, si saluam Rempublicam
 esse volumus. Itaque quod Trasibulus Atheniensibus
 post ejectos tringinta tyrannos, Aratus, Sicyonis caso
 Nicocle; Idem M. Tullius Romanis occiso Casare
 suaserant, legem scilicet Amnestias, id est, omnium
 injuriarum oblivionem, ac tyrannorum acta vale-
 re iusserunt: nec aliter lapsa erigi, nec erecta diu
 stare Respublica potuisset. Quæ igitur acta Neronis
 ac Domitiani traduntur à Senatu rescissa fu-
 isse, ad perpetua quadam edicta pertinent, quæ
 quod sempiternam iniquitatem haberent, nisi abro-
 garentur, rebus rectè constitutis interitum essent al-
 latura: quid autem quinquennio Neronis illustri-
 us? quid aptius? quid melius? ex eo quidem Traja-
 nus optimus princeps, in bene gerenda Republica
 Neroni parem fuisse neminem iudicavit. His con-
 sentanea est Jurisconsultorum disciplina, quæ suc-
 cessores tyrannorum ad ea quæ juste promiserint,
 fecerint, obligari voluit: cætera rescindi. Ita Con-
 stantinus Magnus, quæ Licinius tyrannus iniquè de-
 creve-

creverat, edixerat, unâ lege abrogavit, cetera confirmanda putavit. Idem ipsum à Theodosio & Arcadio factum legimus, caso Maximo tyranno, hâc lege. Quæ tyrannus contra jus rescriptis non valere præcipimus, legitimis ejus rescriptis minimè impugnandis. Ac tametsi largitiones Maximi, & ea quæ in flagitiosos, ac nihil de Republica merentes effudisset revocarent: magistratus, imperia, curationes indignis adimerent: decreta quoq; ac judicia convellerent, ea tamen quæ sine fraude ac Reipublica detrimento acta fuerant infirmari noluerunt. Alia exempla confirmatorum actorum Tyrannicorum Vid. apud Clapmar. de Arc. Dom. L. 3. c. 17. Ita acta Cromvvelii ex ratihabitione regis vim obtinuisse tradit Dn. Coccej. in Disf. de Guarant. Sect. fin. §. pen. Add. Matth. de Affl. dec. Neap. 77. & latè ibi Dd.

§. 69. Hinc quaeritur an ejecto Usurpatori, vel ejus hæredibus bona privata restitui debeant? Nos negamus, quia rei sunt læsæ majestatis, adeoque bona eorum publicari possunt, & pleurumq; etiam ac communi ferè Gentium usu fisco adscribuntur Grot. L. 3. c. 2. §. 5. n. 2. Unde ex mera generositate Tarquiniis privatarum rerum repetitio permisa fuit Liv. L. 2. c. 3. quod vel ex inde apparet, quia, postquam de novo intentassent seditionem, bona illis iterum denegata fuere Liv. d. l. 2. c. 4. Etsi vero postea hæres Tarquiniorum Aristodemus naves Romanas represaliarum jure retinuerit, Liv. l. 2. c. 34

G

hoc

hoc tamen de facto ita contingit, unde nullum jus inferri potest.

§. 70. Quæritur an patre Tyranno ejecto vel mortuo, filii simul spe regni excidant? Neg. (1.) quia filii succedendi jus quæsitum est ex dispositione primorum acqirentium, quod ex delicto patris ipsis auferri nequit, & (2.) si renunciatio parentum illis, quibus ex voluntate populi jus succedendi quæsitum est, nullum affert præjudicium, (vid. *Grot. L. 1. c. 4. §. 10. & Vitr. Inst. Jur. Nat. L. 1. c. 4. quest. 17.*) nedum eorum delictum.

§. 71. Exc. nisi talis sit lex Reipublicæ; v. g. ut cum tyranno quinq; proximi cognati interficiantur qualis est apud *Cic. de Invent. c. 29.* vel ut liberi quoq; eodem supplicio afficiantur, ut in Græcia vid. *Cic. ad Brut. l. 2. ep. 16. & c.* nam tum nullum jus liberis quæsitum est, quin potius expressâ populi dispositione ab omni succedendi spe excluduntur.

§. 72. Si vero tale ipsorum filiorum vitiū concurrat, quod eos omnis successione reddit incapaces, tum ex alia causa rejicitur: quæ omnia huc referre nimis prolixū esset. Vid. interim *Gr. l. 2. c. 7. per tot.* Insigne ejusmodi vitiū est si partus vel est suppositivus, vel saltem incertus & suspectus, qualis est si non secundum leges regni natus est *Grot. d. l.* Etsi enim patrem justæ nuptiæ demonstrent, *l. 5. de in jus voc.* nec videatur esse partus incertus, si eo tempore justæ inter virum & uxorem nuptiæ fuerint, ipsiq; cohabitaverint. *L. 6. his qui*
Sui

Sui vel alien. jur. Nam cum hæc præsumptio saltem legalis sit, tollitur illa si in contrarium appareat partum esse incertum vel suspectum: Hoc igitur casu non sufficiunt nuptiæ, nisi cautelæ accesserint, quæ suspicionem tollunt; Exemplum est in muliere quæ post mortem mariti se prægnantem dicit, res olim suspecta videbatur, quia matris maximè intererat nasci partum, cum jure communi veteri ipsa marito neutiquam succederet, succederet autem liberis ex Scto Tertull. Cognatorum vero maximè intererat partum non nasci. Magnâ igitur curâ à Prætore certa & accurata ratio custodiendi ventris definita est, additæq; plurimæ cautelæ ne aliqua fraus fieri posset *L. 1. §. 10. de Ventr. Instic.*

At quanto pluris interest, in regnorum successio- nibus nihil in fraudem agnatorum fieri. Hinc receptum in plerisq; regnis ut præsentibus quorum inter- est partus edatur: ita Galliæ lex existat dans *L'Etat de la France fol. 55.* & Angliæ quoq; hæc est institutio *vid. Author. des Neugebarn. Englands f. 919.* Si proinde contra morem regni hæc observata non sunt, merito incertus suspectusque partus videbitur. Omnium maximè verò id necessarium erat nascituro in Anglia Principe Walliæ, ubi & longa sterilitas Reginæ, & senectus Regis, & religionis alterius odium, non tam suspicionem fraudis auxerat, quam fraudem plene probaverat:

Maximoperè igitur mirandum est, quâ specie
G 2 Gallia

Gallia cum rege proclamare, alii regno libero leges dare, regem ei imponere, atqve de ejus insignibus ac successione disponere queat, in primis cum Gallia unum legitimum Regem Wilhelmum in pace Risvicensi agnoverit, adeoq; alium amplius agnoscere nequeat, quæ jam latius non deducimus. Nec causari Gallia potest; *Salvâ manere dispositionem pacis Risvicensis, se recognoscere nihilominus Wilhelmum pro legitimo Rege, sed titulum saltem regium accessisse, pari jure quo Casimirus, Christina &c. etiam postquam se abdicarunt imperio regios titulos retinuerunt*: Verum nimis indignæ fastigiis regiis sunt hujusmodi cavillationes, nimiumqve abhorrent à majestatis sanctitate atqve reverentia. Titulo jus significatur uti res nomine suo: nec in pactis quid pars mente reservavit vel dissimulavit, sed quid inter partes actum est jus facit: & si his artibus fides publica falli aut profanari potest, nunquam ulla conventio vel pax tuta ac rata esse poterit: neqve ex allegatis exemplum subsidium peti potest, utpote ubi palam id actum est, ut Rex regno alii cedat reservato titulo Regio, adeoq; nunquam ideò lis cedenti mota fuit:

FINIS.



ULB Halle
004 827 791

3




*Made Rückgabe an OC
Ho 13.05.08*

VD 18







Q. D. B. V. 1702, 3a

DISSERTATIO JURIS PUBLICI GENTIUM,
DE
**REGIMINE
USURPATORIS
REGE EJECTO,**

QVAM
AUSPICIIS DIVINI NUMINIS
EX DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI ICTORUM
ORDINIS IN ILLUSTRIS VIADRINA,
P R Æ S I D E

SAMUELE COCCEJO,
JUR. PROF. PUBL. ORD.

Die VIII. Septembr. An. M DCC II
IN AUDITORIO MAJORI,
Publicè defendendam
suscipiet

**GODOFRED. WILHELMUS
de SCHMETTAU,**
EQUES SILES.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

